



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXI. Moriens Jesus, sanctissimam Matrem suam juxta crucem stantem, omnibus fidelibus commendat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO LXXI.

Moriens JESUS Sanctissimam Matrem suam juxta crucem stantem, omnibus fidelibus commendat.

*Ecce Mater tua. Jo. 19. 27.*

1.

**T**obias senior in testamento suo Filio suo Tobia juniore impensè Matrem suam commendavit: *Honorem habebis Matri tua omnibus diebus vita ejus, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te.* Crucifixus Dominus in ultimo crucis testamento afflictissimam Matrem suam juxta crucem in pelago dolorum stantem non solum Joanni, sed & omnibus fidelibus commendavit, ut eam tanquam Matrem suam agnoscerent, amarent, ac venerarentur: *Ecce Mater tua.* Ubi observandum, quòd Evangelista dicat: *Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua,* sed discipuli Christi crucifixi sumus omnes fideles, ita Dionysius Carthusianus: *Discipulus ille electus quemlibet designat fidelem;* Ergo & nobis omnibus moriens in cruce JESUS sanctissimam Matrem suam commendavit. Proinde semper debemus esse memores hujus sacratissimæ Matris nostræ, recogitantes quæ & quanta pericula sub cruce passa sit propter nos: *Ex tuo dolore discas,* ait S. Cyrillus Alexandrinus, *quæ non illa communis omnium Parentis jactura sit, cum ejus Filius, quem dilexit, vitam pro generis incolumitate offerret.* Plura in præsentis de hac dolorosissima Virgine & Matre, de qua paucis adhuc annis integrum tractatum scripsi sub hoc titulo: *Speculum amoris & doloris.*

2. *Spektaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Ita S. Paulus ad Corinthios neophytos. Erat autem jam tunc temporum intervallo Romæ grande Theatrum (hodie Amphitheatrum, seu Colosseum dictum) ex lapide Tiburtino ædificatum, quod capiebat 87000. millia hominum, qui omnes commodè sedere poterant, in quo gladiatorum pugna, & venationes ferarum Romano exhibebantur populo.

L 1 3

pulo,

pulo, in quo Titus una die quinque millia ferarum occidit, & sic locum istum dedicavit. Hoc, inquam, Amphitheatrum paulò post sub aliis Imperatoribus, primis Christianis ac SS. Martyribus factum est commune Theatrum, ubi tanquam bestiarum (ita in primis illis persecutionibus vocabantur Christiani: *Christianus ad bestias*) spectante populo, crudelissimis objiciebantur bestiis. Missis aliis quam plurimis SS. Martyribus, solum adduco S. Ignatium Ep. & M. de quo Marty-

Martyr Rom.  
1. Febr.

rologium Romanum 1. Februarii: *Natalis S. Ignatii Episcopi & Martyris, qui tertius post beatum Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam, atque in persecutione Trajani damnatus ad bestias, Romam victus mittitur, ubi praesente Trajano, circumsedente Senatu, immanissimis poenarum supplicii primò affectus, leonibus dehinc objicitur, quorum dentibus praefocatus, hostia Christi efficitur.* Et hoc est,

1. Cor. 4. 9.

ad quod alludit S. Paulus, dum ad Corinthios suos scripsit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.* O pientissime Jesu! ò Amor crucifixe! tu reverà factus es Hierosolymis in Calvario monte spectaculum universae terrae: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Secundam personam in hoc cruento spectaculo egit mœstissima Virgo & Mater tua, verè Mater amoris & doloris.

Luc. 23. 48.

3. Virgilius Poëtarum princeps olim praedicto Amphitheatro Romano, ubi post multas pluvias sereno tandem facto cœlo, Augusto Cæsari consueta parabantur spectacula, majoribus litteris inscripsit:

*Nocte pluit totâ, redeunt spectacula manè.*

*Dimidium imperii cum Jove Cæsar habet.*

O tristissima Mater! Filius tuus nunc regnat à ligno: *Regnavit à ligno Deus;* tu dimidium hujus imperii occupabis, quod enim ille passus est in corpore, tu perpeffa es in mente. Præteritâ nocte pluit tota: in monte Olivario, in domo Annæ, in domo Caiphæ &c. Nunc redeunt spectacula manè. O quale spectaculum! Sol & luna mirantur, & orbi negant lumen suum, saxa scinduntur, terra contremiscit, sepulchra aperiantur. Scinditur corpus dilecti Filii tui cruentis flagellis, sed iisdem etiam cor Matris scinditur. Coronatur spinis divinissimum caput ejus, sed & cor tantæ Matris eisdem fauciat. Affigitur cruci, sed & Mater ejus cum illo crucifixa est. Ita Arnoldus Carnotensis: *Vulnerabatur enim spiritu, & crucifigebatur affectu, & quod in carne Christi agebant clavi ac lancea, hoc in ejus mente compassio naturalis, & affectionis maternæ angustia.* O pientissima Mater, quis non amet, non æstimet te!

Arnold. Caf.  
Tr. de laud.  
B. V.

Thren. 2. 13.

4. *Cui comparabo te vel cui assimilabo te filia Jerusalem?* Dicebat quondam Propheta Threnologus, ubi vidit, & planxit non tam regni Judæici,

daici, quàm & urbis Hierosolymæ ac templi incendium & interitum. Et pergat: *Cui exaquabo te, & consolabor te virgo filia Sion?* Allegoricè SS. Patres hoc adaptant Christo Domino, ob peccata nostra in cruce atrocissima patienti tormenta, & Sanctissimæ Matri ejus in omnibus dilectissimo Filio suo compatienti. Cui ergo comparabo te Virgo filia Sion? vel cui assimilabo te ô afflictissima Matrum?

Possum te comparare cum Abraham; filium suum in monte Mo- Gen. 22. 10.  
ria DEO sacrificanti; sed reduxit eum incolumem; Tu verò sine Filio relicta es orphana. Possum te comparare Jacob Patriarchæ, multo tempore Joseph filium suum, quem à fera pessima devoratum credidit, deploranti: *Lugens filium suum multo tempore;* sed supererant ei ad- Gen. 37. 34.  
huc undecim filii; Tu verò ô mœstissima Mater, in Filio tuo omnia perdidisti. Possum te comparare Saræ Tobix Senioris conjugii, quæ filium suum *stebat irremediabilibus lacrymis; & nullo modo consolari poterat.* Tob. 10. 4.  
Plus dolorosissima Mater, quæ etiam sanguineis lacrymis Unigenitum suum in cruce morientem deplanxit. Cui ergo te comparabo ô Filia Sion?

R. Præfatus Propheta Threnologus: *Magna est velut mare contritio* Thren. 2. 13.  
*tua.* Ecce dolores B. V. Mariæ vastissimum mare erant, & sicut omnia flumina in mare influenza illud non augent, sed sunt instar guttæ: Sic nullus dolor cum dolore JESU & MARIE conferri potest: *Con-* Gen. 1. 9.  
*gregentur aqua, quæ sub cælo sunt, in locum unum.* In unum cor Mariæ quasi omnes aquæ dolorum sunt congregatæ; unde nomen ejus Mariæ S. Bonav. Spec. B. V. c. 2.  
*Mare amarum* interpretatur. Ita S. Bonaventura.

5. Quando Sacra Scriptura luctum aliquem grandem, ac plurimum dolorosum vult exprimere, assimilare eum solet luctui unigeniti: *Et plagent eum planctu quasi super Unigenitum, & dolebunt super eum, ut* Zach. 12. 10.  
*doleri solet in morte primogeniti.* O pie Lector! Loquor ad cor tuum: Si tu vidisses innocentissimum Dei Filium in cruce pendentem: & in sanguine suo natantem, ac pro te tam indigna patientem, quid obsecro dixisses? Nunquid ex commiseratione ei intimis condoluisses sensibus, & totus abiisses in lacrymas? Considera nunc dolorosissimam Matrem JESU, juxta crucem stantem. Noënum in diluvio DEus arcæ inclusit: *Et inclusit eum Dominus desoris;* Rationem assignat Gen. 8. 16.  
S. Chrysostomus: *Ne posset videre justus generalem interitum.* Et tu ô penitissima & omnium Matrum afflictissima videre potuisti interitum Creatoris & Unigeniti Filii tui? Ah quoties tunc ingeminasti illud Davidicum: *Sicut Mater unicum amat filium suum; ita ego te diligebam* 2. Reg. 1. 26.  
ô JESU! Subintrat hic Clarissimus Theologus Antonius de Rampe-  
logis: *Inter omnes Matres, quæ unquam proprium filium dilexerunt; Virgo Beata*

*Beata plus dilexit Christum. Tum quia solus sibi erat filius; tum etiam quia sciebat illum esse Deum, & humani generis Redemptorem; tum etiam quia ipsa fuit plena perfectissimâ charitate &c.* Adverte: Plena erat perfectissimâ charitate in Deum & proximum; ergo neque te deseret, si illam filiali affectu & debito modo invocaveris.

Ludolph. in  
Vita Chr. hic

Jo. 19. 27.

6. Hoc expertus est devotissimus ille Religiosus & Staurophilus, de quo Ludolphus de Saxonia in vita Christi: Qui, cum sæpius illa magni ponderis verba à crucifixo & moriente Jesu in solatium omnium Christianorum prolata, attento animo considerasset; *Ecce Mater tua*, totus in lacrymas solutus est. Quo factum, ut annis ferè viginti perpetuis diffunderet lacrymis, quæ sæpè in potum ei inserviebant, ac tunc præsertim, quando aspiciebat devotam quandam Christi crucifixi & dolorosæ Matris ejus imaginem, obrutus lamentis has emisit voces: *Ecce Mater qualiter pendet Filius tuus.* Tum ad Filium conversus dicebat: *Ecce Mater tua lacrymosa & dolorosa! Vide Fili, quomodo stat tota derelicta Mater tua.* In fine vitæ ab utroque adjutus, gloriosus ad cœlestia regna migravit.

Ex, Ferrar. &  
Lyræo lib. 4.  
cap. 3.

7. Rarius est quod sequitur. B. Juliana Falconeria, nobilissimâ progenie Florentiæ nata, à teneris annis Jesum crucifixum & SS. Matrem ejus dolorosam amare didicit; unde valedicens mundo, amicis & opibus Ordinem Servitarum B. V. ingressa est, in quo feriâ 4. & 6. ob Christi patientis memoriam nihil omninò ciborum, & Sabbatho tantum panem & fontanam ob memoriam dolorosæ Matris admittebat. Quàm alto animo Christi patientis cruciatus infixos gestaverit, mors illius probavit, dum post felicissimum ejus obitum in carne circa cor illius imago Christi Jesu crucifixi divinitus impressa inventa est; & quia ob continuata jejunia & corporis mortificationes exhausta, ob ciborum nauseam in ultimo morbo SS. Eucharistiam sumere non auderet, obnixè petiit, ut saltem SS. Hostia à Sacerdote supra pectus suum in corporali collocaretur. Et ecce prodigium sæculis omnibus memorandum, illic SS. Hostia in pectus illius se insinuavit, & illa in ingenti splendore ad cœlum migravit.

